

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Rudolphi Goclenii Exercitationes et disputationes ethicae & politicae

Goclenius, Rudolph

Marpurgi Cattorum, 1601

Disputatio XVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-109121](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109121)

18. Deus enim (immobile & simplicissimū
*) voluptate fruitur purissima, cum maxima
voluptas sit quietis in natura perfectissima &
immutabili.

19. Nostra natura quia est composita, variæ
voluptates ab omnibus expetuntur, quæ mi-
nùs perfectæ sunt.

20. Voluptates cujusque habitus propriæ,
habitum promovent, peregrinæ verò impe-
diunt.

21. Ad extremum, etsi vera voluptas pro-
priè summum bonum non est, tamen sum-
mo bono semper seu individuo nexu est con-
juncta, & hoc sensu summū bonum (sed im-
propriè) dici potest, quod accidens sit insepa-
rabile & proprium summi boni, & quod pro-
pter eam omnes ferè omnia conentur facere.

DISPUTATIO XVI.

I. DE AMICITIA, EX OCTAVO

Ethicorum Aristot. potissimū.

PROPOSITA hætenus ad disputandum
naturā virtutis, quam Aristoteles à libro
secundo ad octavum usque, in causis, sub-
jectis, definitione & speciebus suis est perfe-
ctus: Sequuntur nunc adjuncta virtutis & vi-
tæ Ethicæ duo: Amicitia & voluptas.

2. Quæ cum ex quatuor summis capiti-
bus, in quæ Aristoteles ipse libr. 10. Ethic.

G 4 cap. 6.

cap. 6. Ethicam suam distinxit, duo sint ultima, ideoq; ab illo etiam distinctis tractata libris; distinctæ de illis quoq; habendæ nobis erunt disputationes,

3. Nos ergo hoc tempore agemus de amicitia, quæ est ἀναγκαῖότατον εἰς τὴν βίον, cùm ἀνδρῶν φίλων, ut ait Aristoteles, εὖδεις ἀνέλοιτο ζῆν; ἔχοντα λοιπὰ ἀγαθὰ πάντα, id est, absq; amicis vivere nemo expetat, cætera omnia bona habens, l. 8. cap. 1.

4. De hac igitur differentes, primò definitionem ejus, secundò divisiones, tertio causas recensebimus.

5. Definitor autem amicitia, definitor Aristotele lib. 8. cap. 2. Εὐνοία ἐν ἀντιπεπονθόσι μὴ λανθάνουσι, id est, benevolentia mutua, non latens,

6. Dicit expressè, Εὐνοία ἐν ἀντιπεπονθόσι; tum, ut φίλησιν erga res inanimatas, & bruta animantia ab amicitia hac excludat; tum, ut ἀντιφίλησιν, id est, mutuum & reciprocum amorem, quem inter amantem & amatum velut fluere & resfluere oportet, significet.

7. Siquidem non satis est, ut unus tantum amet alterum: sed requiritur etiam, ut alter quoq; vicissim eum à quo amatur, redamet: sicq; ultrò citroq; bonis se afficere studeant.

8. Addit præterea in definitione. μὴ λανθάνουσι; quo docet non sufficere ad amicitiam inter-

Internam benevolentiam, quâ quis inscius etiam benè cupit, nisi in externam ea quoque erumpat beneficentiam, fiatq; actiuosa & officiosa benevolentia.

9. Eos enim qui alios inscios amore suo complectuntur, potius εἴρους quàm φίλους appellandos censet, lib. & cap. supra dicto.

10. Porro à definitione amicitiae proximæ sunt ejus divisiones, quarum tres in hoc libro proponit Arist.

11. Prima sumitur ex materia amicitiae, quæ est φιλητὸν, id est, amabile; vulgò objectum ejus.

12. Et hoc consideratur ab Arist. bifariam; Vel quatenus est εὐληθινόν, & τῆ φύσει φιλητὸν, id est, verum & per se amabile, vel quatenus est φαινόμενον, id est, apparens, quod speciem quidem veri amabilis habet, re ipsa tamen tale non est.

13. Illud finem propositum semper habet ipsum honestum (εὐλαθὸν) conjunctum cum jucunditate; medium autem seu tendens ad finem, ipsum utile (χρήσιμον.) Unde objectum est amicitiae, quæ per se & perfecta dicitur, quòd causa ejus efficiens, virtus, bonum sit, & per se & propter se amabile.

14. Hoc verò finem habet ipsum utile & jucundum, absq; tamen honestate.

15. Quocirca etiam amicitiam constituit

G s

imper-

imperfectam & per accidens, quod in illa
amicum non *ἐκείνου ἕνεκα*, id est, illius gratia,
sed magis propter aliud, aut propter nos ip-
sos, quatenus nobis vel utilis vel jucundus
est, amamus.

16. Priorem speciem Aristoteles vocat *κω-
είαν φιλίαν*, id est, propriam amicitiam, item
τελειαν perfectam, quod instar virtutis, ex qua
oritur, sit stabilis & firma, ideoque tantum
inter bonos & virtutibus similes locum ha-
beat, l. 8. c. 3.

17. At posteriorem appellat *μη κωείαν ἢ κα-
τὰ συμβεβηκός*, amicitiam impropriam aut per
accidens: Item, *ὁμοίωμα τῆς πρώτης ἔχουσαν*, quae
prioris tantum habet similitudinem.

18. Unde etiam instabilis & infirma est, ac
sine omni discrimine quosvis conciliat, ita ut
& improbi inter se fiant amici, & probi cum
improbis conjungantur, lib. eod. c. 4.

19. Etenim cum haec posterior species non
ex virtute, sed ex utilitate, aut voluptate, cau-
sis minus certis & diuturnis oriatur: (Nam
& τὸ χεῖρον ἢ διαμένει, id est, utile non perma-
net diu, & ἡδονῆς ταχέα ἢ μεταβολὴ voluptatis
velox est permutatio.) Fit hinc aded, ut ces-
sante vel utilitate, vel voluptate, ipsa quoque
cesset amicitia.

20. Quod & Aristoteles pulchrè exem-
plis senam & juvenam, inter quos potissi-
mè à τῷ

mum se exerere ait hanc amicitiam, declaravit.

21. Illi enim (puta senes) cum sint morosi *δυσκολώτεροι*, & ut plurimum avari & φιλοχρηματοι, addo etiam suspiciosi: Nemo certe cum illis potest colere amicitiam. Cum *ἔδειξ*, ut inquit Aristoteles, *δύνηται συνημερεύειν τῷ λυπηρῷ ἔδὲ τῷ μὴ ἰδεῖ*, id est, nemo facile velit aut possit vitam transigere cum molesto & injucundo. l. 8. c. 5.

22. Hi verò cum ætatis sint infirmioris, & propter vehementiam affectuum, quibus omnium maximè juvenes sunt obnoxii, inconstantis & mutabilis: fit hinc aded, ut neque inter hos firma & constans queat esse amicitia, quin potius crebræ rixæ, & contentiones inter eos existant, etiam de rebus levissimis.

23. Et hoc est quod Aristoteles ait, *ταχέως γίγνονται φίλοι ὃ παύονται*, id est, facile incipiunt, facile quoq; desinunt amare, l. dicto, c. 4.

24. Contrà verò amicitia honesta *μόνημα ἔστιν*, id est, stabilis & constans est. Item *ἀδία- κλητός ἔστιν*, id est, non dat locum calumniis & falsis suspicionibus, tum quod viri boni ita sese mutuò explorarint, ut alter alteri tutò fidere possit, tum quod tria *φιλητά* in amicitia honesta inter viros bonos simul sint conjuncta. lib. & cap. suprà dicto.

25. Verum, quæstio hic incidit *περὶ τῆς πολυφιλίας*: Utrum amicorum multitudo, ut in imperfecta, ita quoq; in perfecta & honesta amicitia locum habeat,

26. Respondet ad hanc quæstionem Aristoteles per inficiationem, Etenim cum in hoc genere amicitiae summus requiratur gradus amoris, quo alter alterum complecti debet: Cum pluribus certè talis intercedere non videtur.

27. Neque enim plures unj simul placere vehementer possunt, neque unus pluribus, nisi consequi velit id, ut nemini placeat: juxta illud, qui omnibus est amicus, nulli est amicus.

28. Unus igitur est, qui in hujus summo amicitiae gradu amat, vir bonus, unus quoque qui amatur, vir itidem bonus: At plures & ipsa diurnitas temporis, & raritas amicorum, & similitudo morum, & summa consensus virtutum, & conspiratio, vel nunquam vel raro admittunt.

29. Sequitur nunc altera divisio sumpta ex adjuncta dignitate personarum in amicitiam coequentium, quæ aliæ sunt æquales, aliæ inæquales.

30. Unde amicitia alia *ἐν ἰσότητι*, id est, in æqualitate, alia *ἐν ὑπεροχῇ*, id est, in quadam eminentia aut excellentia ab Aristotele constituitur.

31. Quæ

30. Quæ in æqualitate consistit amicitia, personarum est, quæ dignitate & conditione inter se sunt æquales, & æqualia quoque sibi mutuo præstant officia.

31. Et in hac proportio consideratur Arithmetica, siquidem secundum quantitatem paria paribus, & æqualia æqualibus compensantur.

32. Quapropter & hæc amicitia species perfectior est: siquidem quod major est similitudo & æqualitas, eo & firmitior, & ætior, ait Cicero, est amicitia: præsertim vero si sit

καὶ ἀπέτλω ὁμοίους καὶ ἰσούς, Aristot. lib. 8. c. 8.

33. Quæ vero è contrario ἐν ὑπεροχῇ constituta est amicitia, inæquales invicem sibi devincit personas, quarum aliæ aliis plurimum excellunt, vel ætate, vel dignitate, vel potentiâ, vel autoritate, vel alio aliquo modo & conditione.

34. Et talis est amicitia senis erga juvenem, patris erga filium, magistratus erga subditos, divitis erga pauperem, & docti erga indoctum.

35. Non enim hæc amicitia similis & æqualis est, sed diversa (ἐτέρα) tum quia diversi sunt amicorum fines, propter quos se mutuo amant, tum quia diversa sunt officia, quæ mutuo sibi præstant, tum denique quia diversæ sunt virtutes, quæ in illis requiruntur. Arist. lib. dicto, c. 7.

37. Quan-

37. Quandoquidem pauper amat divitem alio fine quàm dives pauperem, & dives alia officia præstat pauperi, quàm pauper præstare potest diviti. Quemadmodum etiam alia virtus in divite elucet; alia in paupere.

38. Verùm eùm φιλότης nihil aliud sit quàm ἰσότης & ὁμοιότης, ut testatur Aristot. libri hujus c. 5. & 8. Quæri hic non immeritò potest, quo pacto inter amicos ejusmodi inæquales consistere possit amicitia?

39. Hic respondet Aristot. per distinctionem æqualitatis κατὰ ποσὸν, & κατ' ἀξίαν, id est, secundum quantitatem & secundum dignitatem.

40. Illam ἀκρίβειαν æqualitatis, quæ est κατὰ ποσὸν, negat in amicis inæqualibus, quoad officiorum compensationem, esse postulandam.

41. Quia enim hi sunt dissimiles, non possunt sibi mutud æqualia planè officia præstare aut retribuere.

42. Quærendam igitur esse vult æqualitatem κατ' ἀξίαν, quæ proportionem Geometricam, habitam ratione personarum, unicuique pro merito tribuit.

43. Ut quoniam alter amicorum bonis φιλοτιοῖς magis, alter minus abundat, φιλοτιοῖς quoque dispar sit pro ratâ cujusq; portione.

44. Sic cum liberi parentibus, & contrâ parentes liberis ea tribuunt, quæ ex officio tribuere

buere convenit, stabilis permanet ipsorum amicitia.

45. Et pauper cum diviti benefico, quanta pro virili sua præstare potest, præstat beneficia, pauper & dives aliâs inæquales, æquales fieri, & amici inter se esse possunt.

46. Sic inter principem & subditum etsi rara intercedit amicitia (raro enim Cæsar nominat aliquem amicum: cum πολλὴ διάστημα, id est, maxima inter eos sit distantia) constitui tamen nonnunquam potest, principis videlicet dignitate & potentiâ, & subditi virtute, & obedientiâ ad æqualitatem reductâ.

47. Sed ad tertiam nunc, quæ restat, progrediendum est divisionem, quæ sumitur ex causa amicitia procreante, & conservante, communiōne videlicet bonorum & officiorum in conversatione humana.

48. Sic enim Arist. ἐν ἀπείρῳ κοινωνία γίνεται, id est, in omni communiōne seu societate amicitia est: Et ubi nihil commune est (μὴδὲν κοινόν) nulla quoq; est amicitia. Si quidem commune solum conglutinat ac conjungit, τὸ κοινὸν συνέχει, l. 8. c. 9. 11. & 12.

49. Ut igitur illa communiō seu societas humana privata & civilis est: sic quoq; amicitia duplex est: & privata, & politica.

50. Illa ab Aristot. subdividitur in ἐπιεικὴν & φρονικὴν: hæc verò secundum formas politiarum

riarum tres, videlicet Regnum, Aristocratiam & Timocratiam, vel βασιλική, vel Ἀριστοκρατική, vel Τιμοκρατική, amicitia statuitur.

51. Et primum ad *ἰσμελικήν* quod attinet, sodaliū illa est amicitia, quæ inter privatas personas, propter studiorum, ætatis, atq; morum similitudinem contrahitur.

52. Cujus tam variæ recensentur species, quam varii sunt nexus & societates in vita privata.

53. Φυσική verò seu naturalis amicitia ipsius naturæ ductu quodammodo suscipitur: idq; ab iis, qui vel conjugali vinculo, vel sanguine, vel cognatione coaluerunt. Unde etiam triplex est, vel suprema, vel media, vel infima.

54. Suprema est γαμική, id est, conjugalis communio, qua se conjuges amant: tum sobolem propagando ad conservationem generis humani, tum in commune facultates suas cōferendo ad mutuam in vita auxilium, sicq; tum bonis, tum liberis inter se communicando.

55. Unde etiam duo φιλητὰ Aristot. in hac amicitia inesse dicit, Voluptatem & Utilitatem. Quibus & tertium accedere putat, Honestatem: Si utriq; conjugii suâ sit virtus, eaq; mutuâ delectetur, l. 8. cap. 12.

56. Media est πατερική, parentum & filiorum conversatio, qua & parentes liberos amant;

mant, tanquam aliquid sui, ideoq; plus, & filii parentes, tanquam ab illis profecti, ideoque minus.

57. Infima deniq; est vel ἀδελφική, qua fratres inter se amant, quoniam ex iisdem parentibus nati sunt: vel συγγενική, qua se cognati amant, quia ex eodem stipite sunt: utriq; verò ætate & moribus sunt similes.

58. Cæterum politica, & quidem βασιλική, seu regia amicitia in excellentia tum dignitatis, tum beneficii ἐν ὑπεροχῇ τῆς ἀξίας καὶ ἐν ἐργασίᾳ regis erga subditos consistit.

59. Hoc enim est boni regis officium, non solum τῆς ἀξίας dignitate, autoritate & potentia, sed etiam τῆς ἐνέργειας, id est, beneficiæ subditos antecellere, de subditis suis benè mereri, illorum curam habere, adeoq; quod ille de Agamemnone refert, ποιμένα λαῶν se præstare.

60. Ubi & vicissim subditorum requiritur ἀντιφίλτις, quæ debitâ perficitur obedientiâ, iusto honore, humilibus officiis, nonnunquam etiam consiliis, quibus regem suum in gubernanda repub. adjuvare, qui præ reliquis valent subditi, & debent & tenentur.

61. Δεισοκρατική φιλία eadem ferè est cum regia, nisi quodd dignitate sit inferior, & ut in illa unus, sic in hac plures, pauci tamen, iiq; ἄριστοι ad reip. gubernacula sedentes, reliquos

H virtute,

virtute, prudentia, benevolentia, aliisq; humanitatis officiis antecedant.

62. Ultima politicarum amicitiarum est δημοκρατική. Et hæc in æqualitate secundum quantitatem ἐν ἰσότητι κατὰ ποσὸν consistit, cerniturque inter eos, qui virtute, censu, libertate pares (quales in politica sunt cives) æqualiter per vices imperant: Ideoq; æqualiter invicem se amare solent.

63. Porro ad παρακλάσεις seu φθοράς, id est, defectiones & corruptelas bonarum politicarum quod attinet: Affirmat Arist. ipsas nullam aut perexiguam in se habere amicitiam, cum aut nihil aut parum in se habeant juris.

64. Ubi enim omnia vel pleraque pro voluntate & libidine absq; legibus geruntur, & ubi nulla vel exigua est bonorum communio, in quorum & distributione & commutatione jus propriè consistit, quid, quæso, loci juris & justitiæ relinquitur?

65. Hoc autem in Tyrannide, Oligarchia & δημοκρατία fieri, in quibus vel libidine dominandi, & cupiditate rapiendi, & auferendi aliena ad se per injuriam, vel deniq; licentiâ omnia in deterius ruunt, notius est quàm ut probari opus sit.

66. Sic & in privatis amicitiiis, si paternum imperium, quod βασιλείας ἔχει ᾄμα formam habet regni, abit in herile, ac liberis nostris

non

non aliter ac servis utimur, tyrannis fit, nec
ulla amplius inter parentes & liberos inter-
cedit *ὀμιλία* seu conversatio.

67. Et in conjugio, quod simile est Aristo-
cratiæ, si vel vir præter dignitatem, omnia
solus gubernare, & uxori nihil concedere
vult, vel uxor dives *ἐπιπληρῶς* marito impera-
re, sibi que soli imperium arrogare conatur:
Transitus fit in Oligarchiam, & solvitur con-
jugalis amicitia.

68. Idem iudicium esto de fratrum, co-
gnatorum & sodalium amicitia, aliisque ami-
citiæ speciebus hæctenus enumeratis.

69. In his enim omnibus nisi communio
bonorum, jus, & æqualitas *κατὰ ποσὸν & κατὰ
ἀξίαν* observetur, amicitia consistere non po-
tett, sed rumpitur vinculum amicorum, & o-
riuntur rixæ & criminationes.

70. Quæ tamen omnes dissolvuntur, si par
pari referatur. Inter æquales quidem *κατὰ πο-
σὸν*: Inter inæquales autem *κατὰ ἀξίαν*, aut *εἰς
δύναμιν*, id est, pro viribus, ut aliquo modo fiat
ἀνάλογον. Nam hoc *ἰσότης καὶ οὐκ ἐπιπληρῶς φιλίαν*, Ari-
stoteles l. 9. c. 1.

71. Atq; hæc de amicitia, definitione ejus,
divisionibus, causis, sint dicta.

POST QUAM disputata est amicitiae natura, excutiendae porro sunt 12. quaestiones, quae magnam partem ex praecedentibus subolescere videntur.

2. Prima, secunda, tertia, sunt de ἀντιφιλίᾳ, id est, mutuo amore & aequali dilectione.

3. Ac prima quidem haec est: cum quilibet κατ' ἀξίαν (proportione nimirum geometrica) alteri tribuere opinetur, alter autem neget, unde ἀξία illa petenda, & cujus respectu dantis an accipientis beneficium, quod per ἀντιφιλίᾳ retribui debet, metiendum est? Agitur autem hic de amicitia ἐν ὑπερεχῆ, non ἐν ἰσότητι.

4. Respondetur per distinctionem. In beneficio in alterum contrahendo intercedente restipulatione referendi pariter beneficii, qui beneficium dat prior, videtur permittere fidei & gratitudini accipientis, quantum putet justum retribuere: proinde hic τὸ ἀλόγον pendet ex aestimatione accipientis. Qui verò accipit interdū promissis non stat: proinde hic reprehensione dignus.

5. At non intercedente illa restipulatione si beneficium dans in accipientem confert pro-